

tamen ut Imperatores Justinianum secuti aboleverint, mutaverint, & novayerint quicquid ipsis placuit, uti patet ex Novel-
lis Leonis Imp. qui Imperium tenuit circa annum 740. sunt illæ Græce typis excusæ, & ante duodecim, aut quindecim circiter annos in publicum datæ. Italia interim à gentibus septentrionalibus occupata earum leges & statuta recepit, ac spatio sexcentorum annorum aut nullam, aut exiguam librorum Justiniani cognitionem habuit. Nam leges Gothorum, Vandalorum & Francorum usque ad tempora Lotharii Saxonis perdurarunt, qui imperium accepit circa añum 1125. id est sexcentos annos post leges Justiniani. Prodiderunt enim historici, fuisse istius Lotharii tempore Irnerium sive Wernerium magni nominis & auctoritatis virum, de quo historia ab abbate Urspergenfi composita sic loquitur: Eisdem quoque temporibus dominus Wernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in eis studuerat, ad petitionem Mathildæ Comitissæ renovavit, &c.

Hic locus testimonium perhibet, Ver-
nerio non magis religionem fuisse his libris manum inferre, ubicunque ei commo-
dum videretur, quam Tribonianus olim

M 2

omnia